

num. IV. descripto, aut alio simili, forent admovendi. Tota autem hujusmodi moles cum hoc pacto revera distribuatur in vesicas aut vesicarum series, ut harum quævis partem sibi respondentem elevet; non possit autem una suam partem altius elevare quàm altera, si fuerint æquales; patet, multiplicationem serierum ad pondus quidem majus attollendum facere, non item ad majorem elevationis altitudinem: quemadmodum antè ostensum est, multiplicationem vesicarum in una eademque serie facere quidem ad augendum elevationis spatium, non item ad majus pondus attollendum.

IX. Harum verò speculationum utilitas ea tandem ut manifesta evadat, quam suprà Num. V. sumus polliciti; dudum equidem musculum cum ejusmodi vesica, ejusque actionem cum inflatione comparavimus, quâ abbreviatus muscu-




Fig: 37.